EPITHALAMIUM MATTHAEI ANDRONICI TRAGURINI IN NUPTIAS...

Matteo Andreis

Digitized by Google

gymnaſio contigit/quæ res quam tibi apud tuos auctori
tatem adauxerit: uel hinc unicuiq; patet/ φ inter omnes
Regni Pannonii epiſcopos ac proceres/unus nondum
uigeſimum ætatis annum tranſgreſſus electus es qui ora
tor aduentui Sereniſſimæ reginæ occurreres/& cum ue/
neto ſenatu de rebus maximis ac difficilimis ageres/hæc
itaq; quum in te uero ueriora unus quiſq; agnoſcat ui/
ſum eſt hoc qualecunq; opuſculum meæ ſummæ erga
celſitudinem tuam obſeruantiæ teſtem offere quod ſi ti/
bi acceptum erit/ mecū præclariſſime actum exiſtimabo:
omnes inuidorum ac detrectatorum procellas pili(ut
aiunt)facturus/Vale uirtutum omniū unicum columē.

Digitized by Google

Epithalamium Matthæi Andronici tragurini in nuptias Vladiſlai inuictiſſimi/ac feliciſſimi Pannoniarum ac Boemiæ Regis/ & Annæ Candaliæ Reginæ Sereniſſimæ.

NOndum intemptatas pubes irruperat undas
Theſſala/phryxei cognatum uelleris aurum
Expoſcens/necdum refluo uada cō cita motu
Cōſertiſq; iugis arctatum euaſerat æquor
Puppis/hyperboreum Minyas uectura ſub axem:
Peleus eximiis quum iam uirtutibus auctus
Sumpſerat æmatiæ ſceptrum/populoſq; regebat
Aemonios/icto qua cognita paſcua phœbo
Amphryſus placido ſinuoſus flumine lambit.
Sed nec adhuc magnæ Thetidis flagrarat amore:
Nec ſociare toros tædaſq; ſubire iugales
Certus erat/coeunt proceres/cladiq; precantur
Fatalem phrygiæ terris ut reddat Achillem.
Qui populos regat æmatios/quo uindice Troia
Hoſpitii meritas læſi det perfida pœnas.
Iamq; ſuis thalamis natarum Doridos unam
Peleus addiderat/glaucæ coiere puellæ.
Conueniunt ſuperi/feſtumq; hymenæa frequentant.
Sertaq; dependent reſeratis undiq; ualuis
Aurea tecta patent/dant largos nectaris hauſtus.
Vernat flore caput/reſpondent pelea tempe:
Oſſa thetim reſonat/peneus ſuſtinet undas
Cantibus attonitas/ſtupefactaq; flumina tardat.
Ecce iterum heroum redeunt felicia ſecla.
Rurſus fauſtus hymen/& feſtæ uincula tædæ
Aſpicis aerea ſonus ut prorumpat ab alpe

A ii

Parrhaſiiq; celer ripas feſtinat ad iſtri.
Ducitur Arctoo Rhodani armipotentis alumna
Nupta Ioui: geminæ cui gratia nexa ſorori
It comes/& teneri pariter famulantur amores.
Aſtat & uſq; nouæ lateri cytherea maritæ.
Aſpice ut Auſoniæ geminatis plauſibus urbes
Exultent Cytharæ/coniunctaq; tympana buxo.
Tinnulaq; æra ſonent/blandæ inſtrumenta Diones.
Non aliter quondam graias hilarauerat urbes
Clamor ouans domitis quum iam remearet ab indis
Liber/& eoas patriis imponeret aris
Exuuias/feſtiſq; ululatibus orgia Bacchæ
Concinerent/uulſaſq; trabes & ſaxa rotarent
Mœnades/& ſciſſis macularent arua iuuencis.
Ecce ſerenato pelluntur nubila cœlo:
Arridentq; poli/ſuſpendunt flamina uenti:
Atq; immota ſui miratur regna profundi
Næreus/& refluos quæ ſiſtant numina curſus.
Quacunq; ingreditur/dominæ blanditur eunti
Terra roſas ſpargens/flatus dant nectaris auræ
Haud aliter ſegetes Arabum/uel diuitis arua
Aſſyriæ redolent/quum ſe nouus induit annus
Floribus: ac uernis opibus gemmantia rident
Prata/& odoriferi mollis uiget aura fauoni:
Hannibal & flammis/& ui mordacis aceti:
Temptet uer/uetitæ capturus mœnia Romæ
Sponte ſua attonitas animatis rupibus alpes
Summitent cautes/& ſaxa minantia cœlo.
Agnoſcentq; ſuæ uenientia numina diuæ.
Tu mihi legitimis facibus Saturnia præſes.
Tu paphiæ proles/& caſti cultor amoris:
Profer hymen/tantos quod numen iunxit amantes.
Quæ feſtinati ſacros concordia nexit

Digitized by Google

Coniugii nodos/nexos quæ gratia ſanxit.
Forte Dioneos hortos/ſedeſq; petebat
Alma Venus Paphias/pridem intermiſſa reuiſens
Regna ſui manibus quondam fabrefacta mariti.
Circum aderant blandæ charites/varioq; uolabant
More ſagittiferi fratres/hi ſumma feruntur:
Per loca/cœleſteſq; plagas/paſſimq; micantes
Incurſant ſtellas: illi inferiore meatu
Purpureis ſummas pennis librantur in undas:
Iamq; propinquabant/aduerſo littore Cyprus:
Qua pharii ſpectat ſeptēflua cornua nili:
Quum Venus affata eſt puerum/cui plurimus ignis
Aeſtuat & nullos telum fruſtratur in ictus.
Quid ceſſas ignaue puer? quid lente moraris?
Quid non arma paras? num ſat mugire iuuencos
Inter agenoreos ſemel eſt feciſſe tonantem?
An poſtq̄ Eurotæ cygneo carmine ripas
Mulſit/& Illiaca præpes ſtetit ales in ida:
Otia ſunt ducenda tibi? cur ſpicula geſtas
Irrita? cur ceſſans inglorius otia ducit
Neruus? & aligerum mundus iam neſcit amorem?
Dic age poſt domitos ſuperos/poſt cærula regna
Ad motus concuſſa tuos/poſt ferrea ditis
Pectora laſciuis tandem mollita ſagittis:
Torpet hebes tælum/languet tibi dextera ſegnis:
Quin age maioris ſpectat te pompa triumphi:
Auriflui cui nec Iouis æquiperaueris imbres
Nec molles habitus lydæ ſub lege puellæ
Clauigeri Alcidæ/nec amantis paſcua phœbi:
Sume arcum/atq; illo rurſus præcingere telo:
Cui nec multiplici connexæ adamante catenæ.
Inuius ipſe mei non terax Martis/& Aegis
Pallados obſiſtat/furui non ora profundi:

Digitized by Google

Imperiurato qua ſtyx deuoluitur amne:
Pannonii pete regna iouis/qui coniugis expers
Contemnit mea regna/tuis hunc Nate ſagittis
Vince/truces animos/impuia pectora tælis
Concute/& ignotos fac ſentiat ille calores:
Suſpiret thalamos/ mens tota in coniuge aberret
Sepoſitoq; ſui paulum moderamine regni
Ardeat/archanos refouens uxorius ignes:
Dixit.& ipſa ſuis manibus dea collocat arcum.
Suſpendit nato pharetram/ſelectaq; ponit
Spicula/& omnidomo ſuccenſas lampadas igne.
Euolat ille celer/ripaſq; binominis Iſtri
Attigit/armiferas ubi pannona terra cohortes
Explicat/othryſiæ ſe ſe obiectura procellæ.
Quiſquis erat refugas doctus poſt terga ſagittas
Mittere/qui iuſſas arcu contigere metas
Qui iaculũ torquere ualet/cui feruida uirtus
Hoſtilem ſuadet per mille pericula uallum
Scandere/& eximium fæcundo ſanguine nomen
Quærere/qui ſ dis nouit loca commoda caſtris
Eligere/& denſas audet perrumpere turmas.
Stat promptus/mediiq; exultans puluere campi
Scythoniæ iam nunc poſcit concurrere turmæ:
Hic caput ærata pictis cum caſſide conis
Integit/ille humeris geſtat coryton & arcum:
Aurea flauentes huic uelant retia crines
Arctoæ de more plagæ/uel lactea colla
Implicat intextum gemmis auroq; monile:
Ille ſemiramia uariatum uellus ab arte
Pectore habet/rigidus huic tantum pectora munit:
Sola chalybs/reliquo ſtat corpore peruius hoſti.
Huic fronte in media pictas ligat aurea pennas
Concha/& ab oppoſito radiat fulgentior ære:

Digitized by Google

Parte alia frenis arctat ſpumantibus ora
Cornipedis cataphractus equi/fremit ille ſuperbum
Inſultatq; ſolo/ac tumidis ſub naribus ignem
Colligit/erectaq; ferox attollitur aure.
Aſpiceres illic populos utraq; iacentes
Danubii ripa/rapidis quos circuit undis
Sauus/& aduerſo quos ambit flumine drauus.
Illic delmaticæ gentes/agileſq; liburni
Atq; polcmonii proceres/procereſq; Bohemi.
Deniq; parrhaſio quicquid ſub cardine gentis
Regna tenent/aderat regi auxiliaribus armis:
Quæcunq; in populos uictricia ſigna mouere
Et quocunq; parat ferre ex hoſte triumphum.
Regia ſelectis [illegible] inter corda ſagittis
Traicit acer amor paphioſq; his addidit ignes.
Nec mora per teneras creſcit noua flamma medullas
Flāma dionei uires teſtata caloris
Nam Rex ignota ſuſcepto uulnere dextra
Torpet & occultos fit alter & alter ad Ictus
Ardua non illum gemini moderamina regni.
Non urbes populiq; iuuant/non regia curæ eſt
Non quæ finitimus confinia proterit hoſtis.
Pœones hinc/illinc thraces & Sarmata uelox
Non audire præces ſuetas/non condere leges.
Non equitum turmas/peditum non agmina [illegible]
Illud paulatim ſæui mauortis ab arte
Declinat pectus/non denſas claudere ualles:
Non temptare libet ſaltus/aproſue frementes
Aut propriis fœtas turbare cubilibus urſas.
Iam neq; ſydereas iuuat exercere per artes
Illud perſpectæ diſcuſſum mentis acumen.
Cur plauſtra obliquo tardus temone Bootes
Conctur refugo fruſtra ſummittere ponto.

Digitized by Google

Q uid tantum oceano brumalibus obſita nymbis
Aſtra procelloſos properẽt demergere ſoles:
Cur modo curuatam prætendat in æthere frontem
Cynthia/nunc plenum reparabilis attrahat orbem:
Cur eadem radios fratris populata micantes
Ingerat immodicum Phœbo male grata laborem:
Poſt tamen ipſa luat commiſſo crimine pœnas:
Q uã ſubito immiſſis pallens ac mæſta tenebris
Neſcit ab obiecta lucem ſibi quærere terra:
Hæc & multa prius uariis ſibi cognita curis
Egregius belli ductor torpere relinquens:
Cogitur inſomnes ſuſpirans ducere noctes:
Q uiq; modo aſſuerat tragica grauitate ſuperbus
Acta Sophocleis euoluere tradita chartis:
Nunc elegos molles mutato blandius ore
Concinit/exculti quos olim muſa/Tibulli
Edidit/& doctus/quo gaudeat Vmbria uates:
Teq; parum prudens gemini præceptor amoris
Perlegit/extremas ponti qui miſſus ad oras
Cæſaris es nullo crimen delebile ſeclo:
Ingenii perit ille uigor diuinus/& ipſum
Deprimit idalia durus cum matre Cupido.
Heu tantum arcanos percuſſi pectoris ignes
Suſpirat/læſoq; rubor ſe prodit ab ore
Obductas retegens flammas/ah nomen amantum
Immemor imperii quoties tua lingua locuta eſt?
Te ſuſpirantem naſcentis lumina phœbi:
Te medius Titan/Te ſerus conſpicit heſper:
Ignotæ haud aliter flagrauit amore lacænæ
Illiaca/quondam lectus paris arbiter Ida:
Dumq; moræ impatiens amor eſt/dum feruidus alto
Aeſtuat igne uapor/ſicula feruentius ætna:
Seligit e numero procerum/cui plurimus extat

Digitized by Google

Eloquii ſplendor, pyliæ cui mella ſenectæ
Dulichiiq; oris torrentia flumina cædunt.
Cuius ſæpe fides in ſummis cognita rebus
Orantem magnæ ſtupuit quem Curia romæ.
Cuius honorato præfulget uertice/claræ
Pontificalis honos precium uirtutis/& illi
Dat mandata ſuo referat quæ nomine regi:
Cui regna Auſoniæ/cui Gallica ſceptra tenentur:
Cognatoq; petat prognata ſanguine neptem
Sceptriferis thalamis/& fauſtæ fœdera tædæ
Acceleret certis ſponſalia nectere uerbis.
Non aliam ſe uelle toris/quin cælebe lecto
Inuida coniugium ſi forte hoc fata negarint
Tracturum uacuam uentura in tempora uitam:
Nam quum ſolicitus gentes percurrat & urbes
Nil habet auſoniæ plaga/nil Germania diues
Cognati nil regna ſoli/nil ultima tellus
Quæ iam decliues currus phœbiq; cadentes
Sentit equos/tanto dignum ſuccedere lecto.
Inter tot tantaſq; nurus quas obtulit orbis
Anna placet: ſolam mens ſaucia cogitat annam:
At Venus hæc inter paphia iam ſede relicta
Thyrrenas ſpectabat aquas/cognataq; circum
Numina Nereidas/quas inter cerula clothe
Frenatum delphina premit/cadmeia uirgo:
Non ſinit implicitos uiolis errare capillos
Acidis aſpecta præreptos cypride amores
Suſpirat Galatea ſui Meſſeniaq; antra
Deuouet/at ſpatale uirides ſuper æquoris undas
Marmoreo iactat Gemmata monilia collo:
Candida Gymodoce toto ſtat corpore anhela:
Amplexu Glauci iam iamq; apprehenſa ſequentis
Has ita formoſo uultu eſt affata Cythera

Digitized by Google

Eſte Deæ mecum/tædas celebrate iugales
Quales uix quondam ſtellantis regia cæli
Viderit æthereo quum ſe Saturnia fratri.
Iunxit/& optatum ſoror eſt amplexa tonantem:
Deſponſanda manet nunc regi regia uirgo
Nomen ab extremis ductum regale britannis.
Supremos hominum morinos/& Belgica regna
Quod rexit longūq; reget/ſic iuſta tulerunt
Fata/adamanteæ ſic edixere ſorores:
Improba nil unquam demiſſum uidit in illa
Nil paruum fortuna domo ſed ſceptra/triumphos:
Imperium/faſces/horum ſit celtica teſtis
Terra calidonii ſint ultima regna profundi.
Iam Dea contigerat romani mœnia Planci:
Qua celeres Arar & Rhodanus ſua flumina miſcent
Et iam regali conſtructa palatia luxu
Intrarat/bifores illic argentea ualuas
Hoſtia pandebant/illic contemptus Achates
Et neglectus onix teritur/non gratia ophiti
Vlla datur/nihil eſt illic eubœa cariſtos:
Nil lygurum lapides/nil inclyta Saxa laconum/
Parte omni fuluo trabs exaturata metallo
Pendet/& attonitos hominum rapit undiq; uiſus:
Diuitiis nec cædit opus ſtant æra Myronis:
Stat labor o lyſippe tuus/tamen omnia uincit
Porticus/antiquis patrum uariata triumphis:
Eſt illic Tybris/ſunt capte mœnia Romæ:
Sunt & aquitanis Capictolia cincta maniplis:
Arx Tarpeia manet grauiori preſſa periclo:
Porticibuſq; cauis uolitans argenteus anſer
Dum uigili attollit reſonantia murmura uoce
Per rupem audaces teſtatur adeſſe phalanges:
Penſati eſt illic temerarius arbiter auri

Digitized by Google

Enſis/& auſoniæ tot rapta inſignia genti:
Parte alia Brenus per littora graia cohortes
Sequanicas ductat/iam ſe uix delphica tellus
Numine phœbeo/niuibuſq; repente ſolutis
In proceres Gallos/uictriciaq; arma tuetur:
Hos inter titulos antiqua ab origine patres
Candalii apparent/& honore ſtemmata gentis.
Vt primum uiſa eſt diuinæ ſtirpis alumna:
Obſtupuit Cytherea/decus mirata puellæ
Stellantes oculos primum/quibus urit amantes
Ardet/ut œteis circunfluus humor in aruis.
Qui phaetonteos iterum renouare calores
Eualeant/totiq; ignes immittere mundo:
Vnde ſuas ſolitus accendere ſæpe Cupido
Lampadas/ingenuæ ſtat frontis gratia/ſub qua
Excubat Euphroſyne geminā complexa ſororem:
Pallados armiferæ dignum ſtat Gorgone pectus
Atq; ſemiramia pharetra/nodatur in aurum
Crinis apollineo ſolus certare decori
Dignus/& auricomum Bacchi ſuperare nitorem
Qui ualeat/ualeatq; tuis contendere flammis:
Qui Bereniceo de uertice raptus ad aſtra
Igniuomū tremulo ꝑfers fulgore cometē.
Cuncta animus uincit/quem non regina ſcytharum
Maſſagis exuperet/hoſtem licet illa ſuperbum
Vlta ſit/impune natum non paſſa iacere:
Fœmineos non illa colos/non penſa gerebat:
Nil priuatum illi curæ eſt/ſed uoluere libros:
Scire pudiciciæ laudata exempla prioris
Quot proba Penelope luſtris errante marito:
Tempore quot belli repetite ſtamine telæ
Sit pactā tutata fidem/Lucrecia morte
Vt ſubita immeritæ exuerit mala crimina culpæ:

Digitized by Google

Laodomia ſuo comes eſt ut facta marito:
Præuenitq; diem læto/ſtat uirginis uſq;
Iphias ante oculos/& caſta Altea pudicos
Dotibus his alias addit/nõ pectinis illa
Neſcia threicii eſt/nõ ſaxa trahentis & undas
Iſmeniæ cytharæ/quicquid cantauit Arion:
Quod Mitilenæa cecinit cũ uate Corynna:
Quod linus/hoc repetens modulatur regia uirgo:
Aut ductat thyaſos/quales non ante citheron
Baccheis uidit feſtis/non flumina quondam
Thermodoontiacas ſubito perpeſſa bipennes:
Armigeræ ſoblis/poſtquam peltata uirago
Depopulata getã poſitis agit otia bellis:
Huic Venus hæc roſeo confeſtim prodidit ore.
Ec quid perpetuam dulci ſiue coniuge uitam
Neſcia natorum/genialis neſcia lecti
Sola trahes/formæq; tuæ decor iſte peribit?
Cui nec Tænareæ faciem cõferre maritæ
Grecia/nec curſus piſea lege petitos
Audeat.& multa dotatã cæde puellam:
Illa licet graias peritura in pergama uires
Mouerit/& demum in patriam repetita crematis
Laomedonteæ fumantia mœnia troiæ.
Fixerit hæc foribus putri ſquallentia tabo
Ora ſuis/uictrixq; ipſos damnarit amantes
Ad phlegetonteæ liuentia ſtagna paludis
O fœlix cui te iungent bona fata marito:
Fœlix uirgo tua facies/quem prole parentem:
Sed quoſcunq; procos immenſus detinet orbis
Conſpice:nemo tuis thalamis ſuccæderet unquam
Dignior/arctoæ quam qui moderamina terræ
Bina tenet:geminoq; caput diademate cinctum
Irradiat:quem iam uotis germania regem

Digitized by Google

Mille petit/cuiꝗ addictum teſtantia mittit
Dona animũ thrace.quæ gens tam incognita nobis.
Siue ſit eoos phœbi ſurgentis ad ortus:
Seu fontes colat illa tuos ſeptemflue Melon:
Seu uidet heſperio pomaria tuta dracone
Inclita neſcierit generis quæ ſtemmata tanti.
Atꝗ Polemonios reges/ſucceſſaꝗ ſceptra
Per gentis ſeriem.quis auiti ꝓlia belli
Neſcit/& extremo proſtratos marte Sicambros?
Aequarit cui nec celebratas ſanguine cannas
Hannibal Auſonio.Tyria non Scipio cæde
Vndantem Zamam.Marius non cymbrica ſigna.
Theutonicos currus/& capti uincla iugurthæ.
Cæſareoꝗ genus maternum a ſanguine ductum
Inꝗ ſuis titulis/ter Romæ ſceptra/ter auctos
Imperio proauos.Cui nam ſe largius unꝗ̃
Fortuna iudulſit?Quãue eſt complexa fauore
Tam iuſto propenſa domum?nil grandius unꝗ̃
Parrhaſii ſummo uidit ſub cardine mundi
Torua Licaonii ſitiens cuſtodia monſtri.
Editus ut fuerat/tyrioꝗ exceptus in oſtro
Iam regimen cũ luce gerit/patrioſꝗ triumphos
Vagit/& hoſtili ſquallentia caſtra cruore
Incolit/& mediis cunabula ducit in armis:
Intremuere Scythæ tanti ꝓnuntia regis
Fata Getes timuit/& mixtus ſarmata Daco.
Vix dum bis fuerat quinquenis olympias acta:
Iam Scythicos arcus:iam Parthica tela ſagittas.
Iam Thracum norat pugnas/animoſꝗ laconum.
Vt Galli ſua geſa ferant:ut pila latini.
Iamꝗ hoſtem turbare gradu.iam cæde ſuperbus
Arma triumphanti captiua appendere curru.
Aſpice quid poſſit uirtus.lanugine uixdum

Digitized by Google

Signabat malas/quum dant ſua ſceptra Boemi/
Hac etiam allecti regem fecere rogantes
Pannonii/haud donis uel ambitione petiti:
Hic coniunx fatis/hic diis acceptus & aſtris
Iam pridem te uirgo manet/quo nupta marito
Sidera ſublimi cæleſtia uertice tanges.
Inde capit ceſton/ quo uentos illa furentes
Siſtit/& irati rapidos Iouis edomat ignes:
Aſpiratq; faces/& connubialia iura.
Senſerat inſolitos ignes/non conſcia amoris
Virgo prius/iam iam gaudet Regina uocari
Iam cupit e tanti collo pendere mariti:
Incuſatq; moras/& ſtantia tempora damnat:
Sollicitiſq; frequens digitis dum computat horas
Haud prius aſpectum iam mens decurrit ad Iſtrum.
Ah quoties regi dixit quid uota moraris
Noſtra?quid optatæ producis fœdera tædæ?
Non ſecus in tyria Dido miſerabilis urbe
Senſit acidalium labefacta per oſſa calorem:
Quum pius Aeneas ſiculo iactatus ab æſtu
Poſt patriæ cineres/rapti poſt fata parentis
Sorte ſua lybicis tandem ſe ſe appulit oris.
Dum pendet dubioq; labant præcordia motu
Speſq; timorq; inſtat/quæ diis donaria uouit?
Quæ ue tulit?ſed pone metũ/iam regia coniunx
Parrhaſii tu ſola Iouis uiſura cubile es:
Aſtat caſtus hymẽ/tua qui conubia ſanxit:
Duceris/& tecum per deuia ſaxa cohortes
Lingonicæ properant/extrema tendit ab ora
Santonis occeani:Lateri comes hæret euntis
Rex regum:non ille truces ad bella rutenos
Ducit/& alpino populari milite campos
Cogitat Auſonios/ſed pacis plena uerendæ

Digitized by Google

Maieſtas/ſæui non horrida claſſica martis
Triſte minaxq; fremunt/ſed tota hæc pompa triũphi
Virgo tui/heſperias tecum Regina per urbes
Belgica ſigna meant/placidam portantia pacem.
Occurrunt Itali proceres/atq; obuia diuæ
Agmina agunt/numẽ ſelecto munere certant
Promeruiſſe nouum/portatur decolor Indus
Quicquid erithreis ſolers exquirit in undis.
Calaiciſq; fodit terris quod ſedulus Aſtur.
Quod Panchæus Arabs metit fœlicibus aruis:
Quæq; ſuis ſiluis extremi uellera ſeres
Depectunt/quod bis cognato murice ſidon
Tingit/& Idæa quicquid uariatur ab arte.
Natiuum decus ut ſpectetur diuite cultu
Gratius/o felix ac terq; quaterq; beata
Aſpicis Eridanum/q̃ ſe uix continet undis
Applaudatq; tibi/ſudant Electra ſorores
Largius heliades/atq; undas roribus auget
Gemmificis/dulci reſonant modulamine ripæ
Amnis olotiferi/ſic quondam ægyptia coniunx
Romanis aquilis/reduci occurſura marito
Puppe papiriferi decurrit flumina Nili
Aurata/tyrio madefactum murice uelum
Expandens Zephyris inter cyllenia fila
Cognatæ cytharæ/ſtrepitantiaq; æra canoris
Continuata modis/longiq; foramina buxi.
Coniugis hinc adſunt equitum peditũq; cateruæ
Lecta cohors/cinguntq; latus fulgentibus armis
Reginæ/uariis uernãt cum caſſide crines
Floribus/iſmenios ſimulant haſtilia tyrſos.
Gaudia miles agit/feſtoq; hæc carmine iactat
Militiæ de more ſuæ/quid regia uirgo
Coniugis amplexus tardas/atq; oſcula differs

Digitized by Google

Dulcia/torquatas ueneris uictura uolucres?
Quæ te pugna mauet?iam formidata Gelonis
Brachia conſtringent collum/uelut implicat ulmos
Vitis/& amplexas arbor Baccheia frondes
Flexipedi cingit nexu/iam dextera telum
Excutere aſſueta hoſtiliq; rubere cruore:
Mitior incipiet teretes tractare papillas.
Blandaq; iam roſeis condetur lingua labellis:
Cui nec ſicanium nectar/nec mollis hymeti
Mopſopios æquet ſuccos annoſa uetuſtas:
Virgineo uideor ſudantem cernere regem
Marte/Dioneæ pugnaſq; ciere paleſtræ
Has ille exuuias:hæc mauult ferre trophea
Quam ſi uicta iugo collum det perfida Thrace.
India/cunq; ſuo Meroe circũflua Nilo.
Naſcetur proles materno gratior ore
Plus/de patre tamen referens/hunc quantus in armis
Inſurgat/toties fœcundo ſanguine Ganges
Decolor agnoſcet/Laxos huic porriget arcus
Parthia/odorati mittent ſua thura Sabæi.
Sentiet hunc Garamas/pronuſq; ſubibit habenas
Nobilioris heri/cædent ſublimia geſta
Inuicti alcidæ/ſummittet Pella triumphos
Extremo Phœbi naſcentis ab orbe petitos.
Protulerat fauſtum miles prenuncius omen:
Aſſenſit Lacheſis/geminæ aſſenſere ſorores:
Cadmeoq; parant ſaturatum murice penſum:
Candenteſq; legunt gemmas/quibus ordine certo
Venturæ numerent felicia tempora uitæ.

Impreſſum Venetiis p Bernardinũ Venetũ de Vitalibus
Anno Dñi.M.D.II.Die.XXX.Menſis Iulii.
Cum Priuilegio.

Digitized by Google